



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XXV. Hortatur ad feruens desiderium summi boni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

CAP. XXV.

Hortatur ad feruens desiderium summi boni.

OMNIA sub sole transeunt, charissimi filij, & cor hominis infiniti boni capax sedare non possunt. Solus ego, qui sum ipsum bonum infinitum, cor hominis explere valeo quod per diuinam fidē meam didicistis. Experientia quoque sollicitudinis, quam patimini conuincit vos: quia nunquam cor vestrum in quantalibet affluentia dicit satis est: quamuis omnia mundi bona utilia, & honorifica, & delectabilia possideatis. Attendite reges terræ semper inquietos, & meliora bona sollicitē quærentes, & audite iam disciplinam meam. Rex erat fidelissimus seruus meus Dauid, & oblitus regni sui, ardētissimē canebat. Quemadmodum desiderat ceruus ad fōtes aquarū, ita desiderat anima mea ad te Deus. Neque vnquam fitis illa sedata est, donec operatus sum salutem in medio terræ, & in candidissima luce gloriæ palam apparui ei. Quod ille bene nouit, quando fir-

do firmissima spe lætus cantauit . Satiabor, cum aparuerit gloria tua. Quid ergo quæritis filij ? Quò tenditis per varia desideria! Audi Israel dulcissima verba vitæ: dirige ad me vota tua, & dilata os tuum, & implebo illud. Aperite mihi sinus intimos, & latebras viscerum vestrorum: & aperiam ego vobis venam fontis viui, vt sine tædio, satiæmini. Ne suscipiatis fictam mundi redemptionem, vt meliorem, quàm ego promisi vobis, inueniatis resurrectionem. Ne quærat in lectulo humanæ commoditatis, quem diligit anima vestra: Sed surgite velociter, & feruentissimis desiderijs, atquè gemitibus ad fertilissimam regionem viuorum suspirate. Estote viri fortes, & coadunatis animæ viribus, ad serenissimam faciem meam, & ad castissimos amplexus meos fortissimè properate. Nūquid nō est equum, vt abiectis curis aliis anima vestra desideret me in nocte, & spiritu vestro, in præcordijs vestris, sollicitudine amoris anhelantibus, de mane vigiletis ad me, vt saturemini fruitio-

ne in-

ne infinitæ bonitatis, & decoris mei?
Ascendite non passibus, sed igneis affectibus, ad conspectum dulcissimæ pulchritudinis meæ, quæ tota ciuitas primogenitorum exhilaratur, & validissimè concupiscite suauissimam formam Dei. Filij Sion electi, erigite sursum corda; & Regem vestram Salomonem, in omni gloria sua decore coronatum, cuius vultum filix Tyri in muneribus deprecantur, flagrantissimè desiderate legem membrorum aduersantem legi mentis, amando vincite, & supergredientes omne, quod creatum est, in pulchritudinem increatam, & lucem formosissimam deficiate. Et respondebo ego purissimis affectibus vestris, & odorabor odorem suauitatis ascendentem ex ara cordis vestri, in amplissimis atriis domus Domini, in medio triumphantis, & super mel dulcissimæ Ierusalem.

P A R S